

LECTORI ERUDITO!

Jam inde ab aetate celeberrimi Wolfg. Lazii, qua studium historiae Slavae diligentius excoli coeptum est, eruditorum vota saepenumero depromebantur: ut in ipsam Slavorum Linguam ejusdemque dialectos sedulo inquireretur, ad gentis hujus per tot regiones diffusae historiam, undequaque adhuc perturbatam, uberius iustoque ordine enucleandam. Merito proinde clarissimus Lud. Schläzerus in univers. historia septemtrionali anno 1771. edita C. II. conqueritur: magnam historiae Slavae partem hucusque somno velut alto conspultam esse propterea, quod ipsa Lingua cum suis dialectis nondum adcurate discussa sit; optatque ut his primum diligenter expositis, ordinatis ac diiudicatis, earum denique usu exhibito, ad ipsam porro populorum Slavorum per classes suas partitionem procedatur: quum iusto hoc ordine neglecto, vera harum gentium origo situsque, constitui nunquam possit. Vidit scilicet vir celeberrimus obicem eruendae veritati oppositum, sensit laborem densa calligine obductum, atque alii non minus historiarum cultores eruditi, hac methodo gentium in suas Classes distribuendarum rationem incundam esse cum illo statuerunt; statuerunt inquam, nemine tamen eorum operam hucusque suam in id conferente. Haesere profecto omnes labore forte longo arduoque deterriti.


Leonard. Frisch Germanus anno 1727. scribens, primus omnium huic se accinxit labori, quid vero praestiterit norint litterati. Attentavit idem quoque Christoph. Jordan Westphalus, in originibus Slavicis anno 1745. editis Tom. II. P. IV.; imo & Joan. Sigis. Popovitch Venedus austriacus, quaedam super nationibus Slavis earumque dialectis in disquisitione de Mari anno 1750. evulgata velut in transcurso differuit. Aperuerunt enimvero praefati viri sensa sua de Slavis quibusdam dialectis, attamen nexus universi consociationisque illorum, vix ac ne vix quidem meminere. Qui vero praeter reliquis plura se praestare arbitrati sunt, hi quidem ultra orationem dominicam progressi non sunt, sed alienis vestigiis insistentes eandem diversis solum dialectis expressam luci publicae commiserunt. Huc referendae: Horulae arcticae Adam. Poborizbii Wittebergae 1548.; Weichardi Valvasoris Honor ducatus Carnioliae, Aemona Pannoniorum 1689.; Adriani Rolandi dissert. Miscell. ad calcem P. III. Trajecti 1708.; Friderici Fitzii Magister 200 Linguarum Lipsiae 1748.; & Liber ille inscriptus: Oratio Domin. πολυγλωττος καὶ πολυμαθὴς Londini 1713. editus, in quo sonus vocum Slavicarum orthographiae & pronuntiationi Anglicae accomodatus est; atque hujus generis plures numero dari possent compilatores, si res praesens pateretur.

Quid? quod haud paucos etiam Slavicos Historiographos est reperire, qui tam de amplitudine ejusdem Linguae generatim, quam de gente

per varias regiones dispersa scripserunt. Quis autem quæso eorum lectori omnibus rationibus satisfacit? — Ego equidem exemplis idem quoque demonstrare satagebam, dum linguam polonicam, croaticam, slavonicam vulgo illyricam, & ruthenam a p. 305 — 318. in Historia naturali &c. anno 1778. Viennæ a me publici iuris facta compararem. Attamen quum diversa dialectis singulis expressa sint argumenta, non alia, quam quæ Bohemicam inter atque illas intercedit, differentia ob oculos ponitur. Longe aliam iam nunc re omni maturius pensitata viam ingressus sum, dum dialectos slavæ ad fundamenta & regulas Linguae Ecclesiastico — Slavæ seu ut aiunt litteratae, in antiquissimis non nisi codicibus ecclesiasticis adhuc dum reconditæ revocare apud animum meum constitui. Quæ in re quanto humeros meos oneri, nemine præeunte subjecerim, æquis quibuscunque aestimatoribus diiudicandum relinquo. Sæpe animum labori addixi, sæpius eodem concidi, obstante majori non prævisa calligine. Neque enim mentem meam erectam tenebat satis sex dialectorum præcipuarum notitia materno quasi cum lacte hausta, ipsaque res litteraria slavæ, quæ a primis semper delectabar; deficiebant his plures haud prætereundi fontes, & ad eosdem pernoscendos ardentiori studio opus esse agnovi. Quamobrem in dialectis reliquis ignotis adhuc summo cum desiderio mihi comparandis multum operæ collocabam. Ad quod præ aliis profuerunt non nullæ protenuitate mea & temporum circumstantiis susceptæ peregrinationes, quarum ratio Part VII. Fasciculo XLI. Schloezarianarum epistolarum videri potest, tum amica cum eruditis exterarum Slavicarum regionum necessitudo; denique candor ipse, quo sensa mea cum viris litterariis concepto super labore communicabam.

Et profecto non defuerunt qui hæsitantem & amico consilio & auctoritate sua sublevare, quorum ipso in opere cum debita grati animi significatione reminisci dulcissimum mihi erit. Horum sane votis obsecundaturus animum resumsi, multisque difficultatibus impedito huic labori pro viribus perficiendo me accinxi.

Atque hic faciliores omnino progressus habuisset, si quis de cultioris regionis slavæ eruditus, dum ruthenam forte, croaticam, silesiacam, aut bohemicam Linguae suæ maternæ sororem esse perspiceret, easdem ad regulas Linguae suæ patriæ revocasset, gradus affinitatis, ipsamque diversitatem earumdem ostensurus. Sed nulli opinor unquam in mentem venit dialectum suam cum alia viciniore comparare. Et utinam quis varias regionis saltem suæ dialectos regulis generalioribus, grammaticæ suæ accommodasset! at vero, universa hæc pia inter eruditorum desideria conscripta remansere. Mirum ne igitur, si vigente tanta scriptorum domesticorum negligentia, de qua ipse clariss. Schloezerus loco supra laudato conquestus est, exteri abjecte adeo de Lingua slavæ sentiant, atque de eadem differentes eo usque iudicando fallantur, ut Ungaricam, Lithuanam, Finicam, Walachicam aut Epiroticam a Slavæ haud queant distinguere?



Dabo igitur suscepti hujus laboris specimen secundum characterem cuique regioni, a Slavica gente cultae, proprium, singulasque orationis partes dispositum, sequenti titulo & ordine:

ETYMOLOGIA SLAVA
IN
TABELLAS REDACTA
COLLATIS
VARIIS PER EUROPAM SLAVICARUM
DIALECTORUM RATIONIBUS AUCTA
ET
AD OPTIMORUM GRAMMATICORUM LEGES EXACTA.

T a b u l a I.

Orthoepia characteris glaglotici & cyrillici.

- Sectio I.* Litterarum glagoticarum orthoepia; earum origo contra omnem recentiorum opinionem graeco-cyrillianis hodiernis vetustior demonstratur.
- Sectio II.* Character graeco-cyrillicus qui in lingua litterali per Russiam, Poloniam, Bulgariam, Bosniam, Serbiam, Slavoniam & Dalmatiae quasdam partes, imo & per Comitatus quosdam Ungariae communis est.
- Sectio III.* De Characterē Neo-ruthenico.

Orthoepia Alphabetorum characterē latino expressorum.

- Sectio IV.* De Alphabeto Slavonico vulgo Illyrico per Dalmatiam, Ragusam, Croatiam, Slavoniam usitato.
- Sectio V.* De Characterē Carniolico, Carentano &c. vulgo Venedico.
- Sectio VI.* De Polonico cum sua varietate; atque de Pommerano, Samojedico & Lithuanico scribendi modo.

Orthoepia Alphabetorum characterē teutonico editorum.

- Sectio VII.* De Alphabeto Bohemico, Moravico, Silesiaco, Ungaro-Slavico.
- Sectio VIII.* De Lufatico-Sorabico, Cassubico, &c.

- ✱.o.o.o.o.✱
- ** Scholion.** Cuiuslibet Alphabetorum istorum criticae animadversiones super eorum origine, nomine & numero characteris, pronuntiatione, diversitate, prisco & hodierno usu adiunguntur. Patescent simul Characteris inventores, primae typographiae, ipsaque grammaticorum dissensio & varietas orthographica &c.

T a b u l a II.

Tabula polyglotta orthographiae Slavicae universae ordine disposita.

- *** Nota praeliminaris 1. de origine & usu accentuum singulis Navis nationibus communium. 2. de Contractione vocum in libris occurrentium.

T a b u l a III.

Substantivorum.

Continebit inflexiones secundum singulas prius recensitas linguarum dialectos omnium substantivorum, res seu vivas seu vita carentes significantium, quae iisdem vocibus diverso tamen tono & terminatione appellantur.

- **** 1. De concordantia — 2. discrepantia ratione toni — 3. de Syllabarum in fine vocum prolongatione — 4. Variarum grammaticorum de sua lingua sententiae.
- *** Similes animadversiones criticae cuiusvis orationis parti sunt adjectivorum.

T a b u l a IV.

Adjectivorum

In duobus eadem declinandi exemplaribus exarata cum suis α regularibus & β irregularibus comparisonum gradibus.

- **** De incremento & decremento ultimarum Syllabarum. Accedunt animadversiones de irregularibus comparisonibus.

T a b u l a V.

Numerantium.

1. Cardinalium, & quidem α declinabilem β indeclinabilem. 2. Ordinalium earundemque inflexio — 3. distributivorum — 4. multiplicativorum — 5. proportionalium.

T a b u l a VI.

Pronominum

1. Personalium — 2. demonstrativorum — 3. relativorum — 4. interrogativorum — 5. possessivorum.

Ta-

Tabula VII.

Verborum.

1. Verborum auxiliarium — 2. regularium actiuae & passivae vocis.
 3. Verborum irregularium:

(	anomalorum defectionum impersonalium	)	actiuae & passi- vae vocis.
---	--	---	--------------------------------

 ** De verbis simplicibus, compositis, frequentatiuis & iis denique,
 quae perfectae, quaeve imperfectae, significationis sunt.

Tabula VIII.

Participiorum.

- Quae a primae, secundae & tertiae Coniugationis verbis ordiuntur.
 ** De usu & flexione participiorum.

Tabula IX.

Praepositionum.

1. Separabilium, — 2. inseparabilium.
 ** De Praepositionibus inseparabilibus.

Tabula X.

Adverbiorum.

1. Loci — 2. temporis — 3. numeri — 4. dubii — 5. demonstrationis
 6. interrogationis — 7. affirmationis — 8. negationis — 9. ad-
 hortationis — 10. acclamationis — 11. responsionis — 12. col-
 lectionis — 13. separationis — 14. electionis — 15. similitudi-
 nis — 16. casus. — 17. quantitatis — 18. cessionis &c.

Tabula XI.

Coniunctiuorum.

1. Coniunctionis — 2. disiunctionis — 3. conditionis — 4. causae —
 5. contrarii.

Tabula XII.

Interjectionum.

- α. Admirationis — β. gaudii — γ. gaudii — δ. quaerimoniae — ε. mi-
 narum — ζ. risus — η. horrois — θ. taciturnitatis — ι. pre-
 hibitionis.


T a b u l a XIII.

Praemissam dissertationem generalem de omnibus dialectis slavica, sequitur *Comparatio*, in qua methodo Comeniana eadem sententia diuersis hisce dialectis imo & Samojedica, propriis scilicet cuique regioni Slavicae vocibus effertur, criticeque pertractatur. Pro coronide adiecta est animaduersio in antiquissima hujus linguae monimenta, quae quidem & meo labore a Saec. XII. ad medium XVII. vsque colligi poterant, & adhuc exterorum opera roganti, forte ministrabuntur, super vicissitudinibus quas lingua haec variis saeculis, ac diuersis in regionibus passa fuit, quibusque hodie subiecta est.

Ipsa Linguae hujus fata, collata cum variis historiographorum sententiis super flavorum populorum originibus, migrationibus & vicissitudinibus diuersis, *Parte II.* eaque singulari, quam *Slavicae Linguae historiam criticam* appellabimus referentur, notisque criticis illustrabuntur, simulque diuersae Classēs Linguae, qua antiquo, medio & hodierno aevo slavicae gentes usae sunt, pro viribus ordinate ostendentur, ac praeter politicam, geographicam, & philologicam regionum, quas incolant descriptionem, praecipuarum dialectorum consonantia ac discrepantia exhibebitur.


Quantae vero utilitatis primum hoc ejus generis ac singulare prorsus tentamen futurum sit, non est, ut praedicem. Norunt omnes historiographi; diplomatici; abditissimorum antiquitatis monumentorum scrutatores; philologi; ipsaeque in sacris faciendis slavam quoque adhibens linguam Ecclesia, ejus ad dignoscendas distinguendasque singulas dialectos, & ipsam primaevam linguam intemeratam in Ecclesiasticis conservandam, necessitatem. Proderit quoque, nisi memet fallant omnia, iste conatus meus uniuersis non solum curiosis linguarum indagatoribus, verum etiam cuius flavo ad gentem ipsam slavicae cuiuscunque regionis dignoscendam, aliam denique qualemcunque dialectum slavam, ab unius cujuslibet ejus generis gnaro, tanto faciliore opera condiscendam.

Quum autem in praesentis operis editionem non leves sumtus impendendi sint vel propterea, quod bene multae diversi generis litterae, quarum usus in terris nostris ceteroqui nullus est, ex integro novae efformari fundique debent, ipsam etiam opus ultra duo Alphabeti excrescens charta exquisita in 4to imprimendum venit, necessarium omnino arbitratus sum, tam ad exemplarium numerum quam ad eorum pretium definiendum *subscriptionis*, ut aiunt, inire viam. Unum exemplar pretium 4 florenorum nequaquam excedet. Hinc eruditos Slavicaeque eruditionis amatores ipsosque P. T. bibliopolas, bibliopegos &c. apud quos subscribitur, etiam etiamque rogatos volo, ut me de concepto forsitan suo *subscribendi* proposito, primo quoque tempore & quidem ad summum usque ad initium mensis octobris currentis anni edocere non graventur. Id quod ut tanto leviori negotio a singulis praestari queat, sequentem locorum, bibliopolarum, bibliopegarum,



ac typographorum indicem subiciendum putavi, qua ratione cuicumque
subscriberi innotescat, ubi nomen profiteri, exemplarque suum post hac
 recipere possit.

<i>Altonae</i>	apud	Dn. Hellmann.
<i>Argentorati</i>	-	Dn. Koenig.
<i>Augustae Viud.</i>	-	Dn. Kletts W. & Frank.
<i>Basilae</i>	-	Dn. Schweighauser.
<i>Berolini</i>	-	Dnos. Haude & Spener.
<i>Brunsvigae</i>	-	in taberna librar. Orphanotrophei.
<i>Brunae</i>	-	Dn. Mangold.
<i>Bambergae</i>	-	Dn. Goebharg.
<i>Budae</i>	-	Dnos. Weingand & Koepf.
<i>Dantisci</i>	-	Dn. Wedel.
<i>Dreidae</i>	-	Dn. Walther.
<i>Essekini in Slavon.</i>	-	Dn. Divalt.
<i>Elensburgi</i>	-	Dn. Korte.
<i>Francofurti ad Moen.</i>	-	Dn. Broner.
<i>Gracii in Styria</i>	-	Dn. Förstel.
<i>Gorbae</i>	-	Dn. Ettinger.
<i>Göttingae</i>	-	Dn. Van den Hoeck.
<i>Gießae</i>	-	Dn. Krieger Junior.
<i>Hafniae</i>	-	Dn. Profft.
<i>Hanoverae</i>	-	Dn. Fr. Hellwing.
<i>Halae</i>	-	Dn. Gebauer.
<i>Hamburgi</i>	-	Dn. Bohn.
<i>Klagenfurti</i>	-	Dn. Walliser & Korn.
<i>Labaci in Carn.</i>	-	Dn. Clemens Bibliopagam.
<i>Lugduni Batav.</i>	-	Dn. Luchtmanns.
<i>Lemgo</i>	-	Dn. Mayer.
<i>Leopoli in Gallic.</i>	-	Dn. Wilhel. Korn.
<i>Linzii</i>	-	Dn. Wappler.
<i>Lipsiae</i>	-	Dn. Breitkopf.
<i>Mannheimii</i>	-	Dn. Schwann.
<i>Monachii</i>	-	Dn. Fritz.
<i>Monasterii</i>	-	Dn. Perrenon.
<i>Moscae</i>	-	Dn. Nowik typogr. univers.
<i>Nicolspurgi</i>	-	Dn. Stofsberger.
<i>Norimbergae</i>	-	Dn. Stein.
<i>Opaviae in Siles.</i>	-	Dn. Traßler & Mebum.
<i>Petersburgi</i>	-	Dn. Logan.
<i>Posonii</i>	-	Dn. Ant. Loewe.
<i>Pragae</i>	-	Dn. Gerle.
<i>Lubecae</i>	-	Dn. Donatium.
<i>Ratisbonae</i>	-	Dn. Montag.
<i>Romae</i>	-	Dn. Monaldini.



<i>Rosstockii</i>	apud	Dn. Koppe.
<i>Rigae</i>	-	Dn. Hartknoch.
<i>Regiomontii</i>	-	Dn. Hartung.
<i>Stetini</i>	-	Dn. Nicolai.
<i>Stuttgartae</i>	-	Dn. Metzler.
<i>Tergestae</i>	-	Dn. Winkowitz.
<i>Tiguri</i>	-	Dnos. Orell. Gessner &c. Compag.
<i>Ulmæ</i>	-	Dn. Stettin.
<i>Upsalæ</i>	-	Dn. Swederum.
<i>Warschaviæ</i>	-	Dn. Groell.
<i>Vitoduri</i>	-	Dn. Steiner.
<i>Vratislaviæ</i>	-	Dn. Jon. Frid. Korn Senior.
<i>Veneriis</i>	-	Dn. Pezzana.
<i>Wiennæ</i>	-	Dn. Wappler.
<i>Zagrabiae in Croat.</i>	-	Dn. de Trattner.

Cumque haec notificatio plus extensa sit, quam ut eandem Novis inferendam dare possem, aut D. Ephemeridum scriptoribus extrahendam imponerem, eos igitur solum intente rogatos volo, quibus praefens folium legere contingit, ut ad idem emulgandum quantum valent, conferant.

Viennæ die 24. Julii 1783.

Maximilianus Schimek,
Scholarum Piarum Professor.

